


1562. id. 5. Mar. . . . Ex Ms. Bibl. Latius: No 244.

Sigismundus Augustus Rex Poloniae: Martino Fromero:

34

Misit ad nos nuper Serenissimus Domini-
 nus electus Rex Hungariae Nepos noster
 charissimus subicularium cum literis, qui-
 bus queritur de vi et injuria, quae illi et sub-
 ditis ejus a praefectis Caesareae Majesta-
 tis inferitur. Inducias autem trium aut qua-
 tuor annorum, de quibus nobiscum anno
 superiore egerat nomine Caesareae Majesta-
 tis, Oratore Majestatis ejus, qui apud nos
 est, idque ad mutuam benevolentiam, o-
 mnium nostrum conservandam, et ad tra-
 ctandum de perpetua pace inter Caesaream
 Majestatem et Summum Nepotem nostrum
 vehementer pertinere affirmabat, haec tenus
 non esse factas. De quibus quidem nos rogati
 ab Oratore Majestatis Caesareae, ad Nepotem
 nostrum scripseram, easque antea Orator
 Majestatis Caesareae nomine Majestatis suae
 magnopere petere videbatur. Cum autem
 Serenissimus Nepos noster hortatu nostro
 in eas inducias consensisset De eoque et nos
 Dominationem tuam certiore tunc fecisse-
 mus, et Serenissimus Nepos noster, ad Sere-
 nissimum Regem Bohemiae scripserat, Ma-
 jesta Caesarea incertum, quae de causa mu-
 tata sententia negotium hoc haec tenus ex-
 traxit. Nunc vero conditiones quasdam
 Serenissimo Nepoti nostro imponere velit,
 quae illi duriores esse videntur, quod Domi-
 natio tua ex exemplo^{literarum} Serenissimi nepotis
 nostri, quod illi mittimus, perspicere poterit.

Quamobrem



Quamobrem scribimus in eo negotio majesta:
ti Casarea earumque literarum exemplum,
ad Dominationem tuam mittimus, illamque
hortamur, ut in eandem sententiam agat
nostro nomine cum majestate Casarea,
adhibeatque omnem diligentiam, ut sal:
tem trium, aut quatuor annorum inducia
fieri possunt, omniaque que ad conficiendum
hoc negotium pertinere videbuntur, sum:
mo studio ac diligentia curet.

De negotiis nostris Barenisibus nihil
nunc habemus ad Dominationem tuam
scribere, preter id, quod ad eam per proxi:
mam postam scripsimus, imo vero de ijs
rebus a Dominatione tua literas expecta:
mus, quas nobis nullas per proximam po:
stam esse allatas, vehementer miramur:
nihil enim ab ea literarum post eas, quas
ad nos Praga trigesima Januarij dede:
rat, accepimus, ad quas nos illi statim
responderamus. Datum Vilmie quinta
Martij Anno Domini Millesimo, quin:
gentesimo sexagesimo secundo. Regni
vero nostri Trigesimo tertio.

Ad Mandatum Sacrae
Regiae Majestatis proprium.

Interess. Quota Weg. papavay.